



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Cultu Sacrosancti Cordis Dei Ac Domini Nostri Jesu Christi

Galliffet, Joseph de

Romae, M.DCCXXVI.

Praxis IV. S. Gertrudi a Deo revelata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45817](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45817)

P R A X I S I V.

S. Gertrudi, a Deo revelata.

Quanto studio & affectu S. Gertrudis divinissimum Cor Jesu, Deo afflante, profecuta sit, superius c. 1. l. 2. dictum est. Hic aliquid dictis addendum. Libro 3. insinuationum seu revelationum cap. 25. hæc leguntur. Alia vice, quum Gertrudis studeret orando singula verba cum attentione proferre: & in hoc, ex humana fragilitate sæpius impediretur: ob eam rem mœsta, dixit intra se: Quis vero ex tali studio provenire fructus possit, cui tanta inest instabilitas? Cujus mœrorem Dominus non patiens, obtulit ei Cor suum deificatum, dicens: ecce Cor meum dulcissimum, venerandæ Trinitatis organum, oculis mentis tuæ objicio, cui omnia quæ per te minus implere sufficis, fiducialiter pro te supplenda commendabis: & sic omnia coram oculis meis apparebunt summe perfecta . . . Cor meum deinceps semper aderit tibi, ad hoc ut omnes negligentias tuas qualibet hora pro te suppleat.

Eodem illo lib. 3. c. 28. hæc habentur. Dixit Dominus ad Gertrudem: respice ad Cor meum: hoc erit tibi templum. Quære autem in cæteris Corporis mei partibus, alias quasi officinas, in quibus vitam degas: Corpus enim meum erit tibi impostherum pro claustro. Ad quod illa: Domine, nihil est quod quæram amplius aut eligam, quia tam suavem ubertatem in Corde tuo dulcissimo (quod dignaris templum meum dicere) inveni, ut extra illud nullam quietem admittere possim.

PRA-